



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**SELECTA=||RVM DECLAMATIONVM || Philippi Melanthonis,
quas con=||scripsit, & partim ipse in schola
Vui=||tebergensi recitavit, partim alijs recitandas
exhibuit.|| TOMVS ... ||**

Melanchthon, Philipp

1559

VD16 M 3567

Oratio de studiorum Eloquentiæ exercitijs, atq[ue] laudibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34734

DE UTILITATE STUDIORVM
eloquentiæ, Oratio Georgij Sabini, habita
in Gymnasio Francofordiensi,
Anno 1538.

CLARISSIMO VIRO, CVM GE-
neris nobilitate, tum uirtute præstanti, D.
Eustachio à Schlieben, patrono suo,
Georgius Sabinus.

S. D.



Agis studijs quorundã ami-
corum, quàm meo iudicio
factum est, ut aderetur ora-
tio, quam de eloquentiæ ex-
ercitijs ac laudibus more
scholastico habui. Videbam
enim multò esse tenuiorem,

quã ut responderet argumenti magnitudini. Quæ
enim ars alia tantas ad uitã utilitates adfert, quæ
res maiores gubernat, quàm eloquentia? Explicat
religiones, regit uniuersam togatam administrati-
onem, dominatur in iudicijs, in curia, in Princi-
pum consilijs, & infinita negociorum uarietate.
Sæpe etiam bella, & stantes in procinctu acies
dirimit. Itaq; præclare Ouidius cum ad Mercu-
rium inquit: Pacis et armorũ Deus arbiter, signi-
ficat

Eloquentiæ
uis.

ficat eloquentiam, & in paceres maximas
re, & saepe bella ac populorum tumultus
Tantam facultatem pro dignitate laudare,
est mediocrium uirium. Ego autem de uerbis
multò uerius prædicare possum, quod de seipso
quit Ouidius.

Inuida me spacijs natura coërcuit arctis,

Ingenij uires exiguasq; dedit.

Quare mihi ueniam dari peto, quod suscepto
uissimo argumento, tam tenuem Oratiuncula
sine motibus, sine splendore aliquo cōposui. Non
si qua est in editione culpa, amicorum est, quo
bus tamen eo minus repugnaui, quia arbitror
omnes in hoc genere exhortationes prodesse
uenibus, præsertim hoc tempore, cum languida
hæc studia, non solum fatalibus causis, sed etiam
hominū ignauia. Et ut Homerus inquit, *ὄργη
ἔσται*. Quare omnes boni uiri, maximeq; illi, qui
tenent Respub. et qui studijs iuuentutis præstant,
excitare debent adolescentiam ad has artes colen-
das, atq; amandas, quibus carere Respub. nullo
modo potest. Quales tenebræ in religione, quæ
lis barbaries in iudicijs & negotijs ciuilibus
tura est, amisso literarum elegantiorum & elo-
quentie lumine? Facile igitur patior extare hanc
meam qualemcumq; exhortationem.

Cum autem usitato more patronum aliquem huic scripto quaererem, multae concurrebant iustae causae, ut tui nominis auspicio aderem, quem scio maxime et studijs, et laudibus eloquentiae favere. Etsi enim abundas ingenij & fortunae ornamentis, tamē his ingēs decus addit eloquentia tua, & caetera illustriora efficit. Nā cum natura te ad hanc artem omnium reginam finxerit, cumq; doctrina excultus sis, magnam tibi laudem, magnam admirationem, dicendi facultas parit, non solum in patria lingua, sed etiam Latina. Eaq; in re illud imprimis gloriosum est, quod tua eloquentia patriae praesidio est. Deinde hanc nostram Academiam auctoritate tua apud illustrissimum & clementissimum Principem Marchionem Electorem praecipue tueri soles: Me quoq; singulari comitate adiuvas. Quare hanc ad te Epistolam publice scripsi, primum, ut omnes intelligerent te a nobis, & propter admirationem tuarum uirtutum, & propter egregiam erga literas uoluntatem, diligere, coli, & obseruari: Deinde, ut haec ipsa studia nostra tibi commendarem. Itaq; si officio meo delectaberis, praecclare me hoc munus collocasse arbitrabor. Peto igitur, ut pro tua excellenti humanitate, & hoc meum officium specimen esse grati erga te animi statuas, & me tuo favore

e v atq;

atq; autoritate, in hac publica functione defendas. Est enim iustissimum, eloquentia studiosos professores ab ijs defendi atq; ornari, quibus eloquentia summam dignitatem atq; auctoritatem in Republica parit. Bene ac feliciter uale,

Francfordiæ ad Oderam, Calendis
 Nouembris, Anno

M. D. XXXVIII.



ON ignoro quantum suscipiat is, qui eloquentia scriptorum enarrationem instituit. Etenim non solum genus sermonis ei notandum oportet, sed etiam exponenda sunt authorum consilia

multa ex historijs omnium temporum repetenda. Deniq; ut accommodet ad usum, interpretandus esse debet Reipublica. Hac cum per se res duas sint, mihi nouitas ipsa & negocij & loci, multo reddit ea difficiliora. Nam antea nunquam in publico coetu docui, & fieri nequit, quin res hospes huius Academiae, magis metuum indicet uestra. Omnium oculi in nouos hospites intus sunt, multoq; indicant de eis morosius, quam

notis & familiaribus. Itaq; magna in sollicitudine esse cœpi, postquam hæc prouincia mihi ab illustriſſimo Principe nostro Electore mandata est, uosq; magnopere oro, ne fiducia ingenij, aut doctrine singularis à me expetitam esse existimetis: sed quodam amore patriæ hic potissimum uere malui, & si quid contigit ingenij aut industrie, conferre potissimum ad patriæ utilitatem. Quare non arrogantia, sed quodam probabili cõsilio, seu studio potius à me expetitum esse hunc locum putetis. Vobis q; initio polliceor, mihi non defuturam esse diligentiam in ullo officio, quod à modesto & tranquillo hospite requiri potest. Academiæ authoritatem maximi faciam, professorum beneuolentiam, quibus potero officijs, tuebor, persiciam etiam, ne ciues in me humanitatem desiderent. Hanc meam uoluntatem, si probabitis, spero uos de ingenio meo, & de his operis scholasticis minus acerbè iudicaturos esse. Ac uerò imprimis decet uiros doctos candor, in prouebendis et iuuandis tyronibus, qui Reipublicæ operam nauare student. Quare rogo, ut his auspicijs meis faueatis, mihiq; ut ille ait, crescendi copiam detis: quod si facietis, melius de publicis studijs mereri potero.

Cum autem hæc prælectio instituta sit præcipue,

Propositio.

puè, ut ad eloquentiæ seu rectè dicendi studium
uentus assuefiat, dicam aliquid de eloquentia
dibus, ac utilitate. Et quoniam iuuentutis ex
de causa, hæc oratio habetur, dicam de ijs
tatibus, quæ nunc in hac forma Republicæ

Definitio.

nis ingenijs expetende sunt. Eximia quædam
tus est eloquentia, quæ est facultas sapienter
ornatè dicendi, de religione, de Republica, de
alijs artibus, regens imperia, summorum Prin
pum consilia, uoluntates inclinans populorum
gentium, & uel incendens languentes, uel res
cans, ac sedans incitatas, qualem describit Vergi
lius eloquentiam cum ait:

Ac ueluti magno in populo cum sepe coortat
Seditio, sæuitq; animis ignobile uulgus,
Iamq; faces et saxa uolât, furor arma ministrat.
Tum pietate graue ac meritis si forte uirum
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Porrò de hac excellenti ui, & perfectò eloquen
tia, non sum dicturus, sed de his nostris studijs
hoc est, de diligentia rectè dicendi, seu componen
de Latinæ orationis, quæ tamen pars aliqua
eloquentiæ, et uelut inchoatio. Hæc quantum
ornamentum, quàm multiplices utilitates affe
rat, exponam. Primum enim cõmemorabo, quæ
con

Oratio Mar-
chionis in con-
uentu Augusta-
no ad Libur-
nos,

audissent, hanc causam etiam ei commendat.
Hoc iudicium ceterorum Principū, nostro quo-
fuerit honorificum, omnes intelligitis: itaque
audiretur cū summa attentione, honestissimis
dibus ornauit Liburnos propter fidem et fortis-
dinem, quā in sustinendis, et depellendis Turcarū
irruptionibus, tot iā annos praestiterunt, ac bene
sperare eos de uoluntate Imperatoris iussit, ut
omnes cogitationes iā in parando bello aduersus
Turcas cōsumerentur. Hanc eius orationem pro-
dentes omnes, propter consilium et sententiarum
grauitatē, eruditi etiam propter genus uerborum,
magna cum admiratione audiebant: Tantum
dis Principi pariebat latinē dicēdi facultas, quā
re et reliquae nobilitati, et ceteris qui ad Rempublicam
accessuri sunt, omni studio eloquentia expectantur.
est, praesertim hac aetate. Videtis enim quanta
in hac natione mota sint, quantum sit negotij
stris Principibus, cū omnibus Regibus Christianis
nominis, ubi pleraque omnia Latinē agenda sunt.
Qua in re & illud considerandum est, nunquam
ceteros Reges adeo studiosos fuisse eloquentiam
ut nunc sunt. Etenim non modò Itali et Galliae
etiam Poloni & Pannonae, explosa ueteri barbarie,
nunc cum scribunt ad exteros, elegant, et
dum, ac uerè latinum orationis genus adhibent.

Eloquentiae stu-
diū apud Prin-
cipes hodie.

Nec alia ars apud plerasque nationes plus habet dignitatis, quam latinè dicendi facultas. Iam cogitate quam multa incommoda sunt expectanda, si mittantur ad externos legati infantes: Primum ridetur gentis ignavia, detrahitur autoritas nostris, non intersunt consilijs, accipiunt dictata ab alijs, nec rarò turpiter falluntur, et tanquam navibus trahuntur, ut non intellecta probent. Cum igitur sit perspicua utilitas, cum inuitent maximorum Regum et Principum exterorum exempla, cur soli Germani huic studio iam luxum, apparatus conuiuiorum, & nescio quas uoluptates anteferimus, qui quidem paulò ante etiam hac laude ceteris nationibus antecellebamus? Sed breui mira est facta huius nationis mutatio, negligitur res militaris, literæ non solùm spernuntur, sed etiam sunt in odio. Et honestissimis studijs successerunt multa uitia, luxus, ambitio, perfidia, & pleraq; aliæ pestes, quæ intestinas discordias, & alias calamitates pariunt. Quare et Principes, et reliqui, qui autoritate ceteros præcedunt, omni contentione iuuentutem reuocare ad recta studia debebant, ac præcipuè ad eloquentiam, quæ in Repub. maximum habet usum.

Porrò si quis hoc studium eò minus curat, quia putat tantùm prodesse ad genus sermonis, is longè errat.

Germanicæ mutatio.

Vtile in Repub.

errat. Etsi enim non est exigua utilitas in
 ctum esse copia sermonis, tamen exercitatio
 cendi etiam de multis rebus format iudicia, et
 te animos ad diligentiam assuefacit. Legendi
 de optimis rebus sapientissimi scriptores, qui
 intelliguntur, nisi consilia ac uoluntates con
 ita consideremus, quasi unà cum illis uiuere
 dem intersimus deliberationibus ac negotiis,
 quibus ipsi uersabantur. Tota Respub. uetus
 mo intuenda, & ad presentem formam confro
 da est. Hæ cogitationes aliquid ad prudentiam
 conducunt, ac de multis magnis rebus nos ad
 nent, de moribus, de iure, de actionum ac iudi
 rum uarietate, de natura rerum. Demosthenes
 citur octies descripsisse Thucydiden, ut sibi
 rem eloquentem quàm familiarissimum faceret.
 Nec uerò aucupatus est præcipue uerba aut
 nus sermonis. Nam Thucydidis oratio admodum
 dissimilis est forensi. Sed uarias Reipub. mutatio
 nes ac momenta considerabat in historia, ex
 pebat Principum consilia, quorum cognitio
 quoq; in publicis deliberationibus proderat. Ali
 quid etiam grauitatis addidit Demosthenes or
 tionibus, imitatio Thucydidis. Multas enim
 fert Demosthenes sententias Thucydidis. Citant
 leges multis in locis Homerū, citant Cicero

Demosthenes
 Thucydidis stu
 diosus.

ū uerborum causa, sed tanquā sententias in foro
 dictas, quarū autoritatē in iudicijs ualere uolūt.
 Quoties Medici citant Poētas in natura rerū de
 scribenda? Quis enim non uidet Poētas uel preci
 pue hoc studuisse, ut plerasq; naturę partes illu
 strarēt. Itaq; complexi sunt summa cum uenustate
 ortus et occasus syderū, ac totam doctrinā quę in
 uulgaribus libellis de sphaera traditur, descriptio
 nes fulminum, iridis, et reliqua meteora, herbarū
 plurimarum et multorū remediorū naturas. Cice
 ro uerō et moralē Philosophiā totā cōplexus est, Cicero.
 et quosdā locos qui ad Philosophiā naturalē per
 tinent, quorum lectio nō modō copiam sermonis,
 sed etiam rerum scientiam alere potest. Quid est
 enim illa disputatione, de immortalitate anime, in
 prima Thusculanā eruditius ac iucundius? Multō
 etiam eruditior est libellus de natura Deorū: Ac
 in utroq; multa sumuntur argumēta ex ea doctri
 na, quā profitentur hi, qui propriē dicūtur Physi
 ci. Fateamur ergo eloquentiū scriptorū lectionē,
 non modō ad copiam sermonis, et phrasin compa
 randam prodesse, sed etiam ad augendā rerum co
 gnitionem, et iudicia formāda de multis maximis
 rebus. Deinde diligētia in exercitio styli, illa uerō
 in primis acuit ingenia. Nā in inueniēdo res quę
 ad causam pertinet, prudēter omnes inuestigande
 Styli cōsona
 mia.

et cogitandæ sunt. Ad hæc deliberandum de reo ordine et œconomia. Nec minor est cura percipere quid deceat, quid locis ac tēporibus congruat. Postremò cōpositio et cura elocutionis acriter exercet scribentē. Huius exercitij cōfessio parit immēsas utilitates, prohibet precipitiā, et quasi frenum ingenijs inijcit, ne temeritate delectu, sine ordine, sine cura effundāt omnia, quæ sese offerunt, adfert diligentiam, ut ea quæ gressibus, formemus etiā, et arte meliora efficiamus. si facerent scriptores uel sacrarum rerū, uel ciuicorum, quantò fœlicior esset status rerum humanarum. Quorum pleriq; si ad curiā in dicendo assueti essent, multò essent in deligendis utilibus argumentis, et in cauēdis publicis periculis, diligentiore

Periclis cura in dicendo.

Pericles ascensurus in cōcionem, ac premittens animo, quātum periculi inconsideratè dicta, perirent, solitus est precari à Dijs, ne quod sibi in

Demosthenis.

excideret, quod officeret Reip. Et Demosthenes cum ei obijceretur, quod meditatus ad dicendum ueniret, respondit, sibi nō modò imprudentem, sed etiā improbum ciuē uideri illum, qui de rebus

- “ mis, uniuersæ ciuitati consilium daturus, eueniret
- “ dicere, re non ante diu multumq; cogitata: Quæ
- “ si possit, nō solūm scripta, sed sculpta se dicturum affirmauit. Adfert ergo inter cæteras utilitates

consuetudo exercendi styli, multiplicem diligenti- ^{Stylus nutrit}
 tiam, causa tota maiore cura expendenda et cogi- ^{diligentiam,}
 tanda, cum ipsi nobiscum deliberamus, quomodo
 eam dicturi aut acturi simus: prospicitur etiam
 quid in actione periculi sit, deliberatur quomodo
 pericula in agendo cauenda sint. Denique si nihil est
 fastidi garrulitate turpius & perniciosius, pluri-
 mum ad uirtutem in unoquoque, & ad publicam
 tranquillitatem prodest haec assuesfactio, ad exer-
 cendum stylum, ad formandam & componendam
 orationem, ne omnia sine delectu effundantur.
 Multa etiam ingenij uitia corrigit stylus, et cohi-
 bet effectus, ne contra decorum concitatus feratur.

Dixi haec, quam sit utile hoc studium recte
 scribendi his, qui ad Rempublicam accessuri sunt. Togata
 administratio praecipue gubernatur eloquentia, et
 multa Latine agenda erunt. Quare ad hanc tantam ^{Vtile in Eccl.}
 rem, ut se iuuentus praeparet, adhortanda atque inci-
 tanda est acriter. Iam in controversijs religionis ex-
 plicandis, quis non uidet magna doctrina, et magna
 ueritate sermonis, et dicendi facultate opus esse?
 Sunt enim res obscurae, et scriptorum dissimilibus di-
 sputationibus inuolutae. Ut igitur ex tanta caligi-
 ne euoluantur, ut uere, proprie, dilucide explicen-
 tur, ea uero res requirit non mediocres artifices.

Est autem bonae et pie mentis, etiam ob hanc causam
 f ij expeters

expetere eloquentiam, ut ornare gloriam Dei
 conferre aliquid ad utilitatem Ecclesie possit
 hunc finem precipue referri nostra studia debent
 quod & Plato uidit, qui ait eam eloquentiam
 tendam esse, quae non futilia dicat, sed Deo gra-
 Vetus ecclesia quam habuit eloquentes scriptores
 Basilium & alios, qui cum haberent studium
 dicendi, curabant, Primū ut res ipsas recte intelli-
 geret, postea ut proprie et perspicue alijs tradere-
 Ideo sincerior apud eos doctrina est, quam in po-
 sterioribus, qui, nullā in dicendo doctrinā adhibe-
 runt. Quid quod ipse sermo in sacris literis intelli-
 gi et iudicari nō satis potest, nisi ratio dicendi
 figurarū intelligatur. Dicā aliquid etiam de
 artificio, uidelicet, de Poëtica. Psalmi magis
 parte prorsus poëticis picturis ornati sunt, quae
 profectō non possunt agnosci ab his, qui sunt igno-
 ri Poëtices. Nec difficile est plurima exempla
 strare. In Psalmo de concordia: Ecce quam bonū
 cōparat concordiam balsamo, quo Pontifex
 tur: significās suauissimā esse, quia in Rep. in
 bus periculis utilissima est. Vide autē quam
 ste pingat in Pontifice balsamum, in barbam
 totam pallam defluēs. Cur hac utitur pictura
 solum quia illud Pontificium balsamum erat
 stantissimum, sed etiam ut significet in Rep. pro-

Exemplum po-
 eticum ex Psal-
 mo.

ipsum concordiae auctorem esse debere Pontificem.
 Huius munus est, efficere ac tueri doctrinae consen-
 sum. Sed nolo esse prolixior in re manifesta, nam
 Theologis opus esse hac cultura, & his literis,
 quae rationem dicendi tradunt, minimè obscurum
 est. Nescio quae res magis inflammare generosas
 mentes possit, quàm publica utilitas, seu necessitas
 potius. Ostendi autè Reip. magnoperè opus esse,
 praesertim hoc tēpore, eloquētia studio: quod si co-
 gitabunt adolescentes praediti bonis et rectis inge-
 nijs, accendet eos, ut spero, ad hoc studium Reip.
 amor. Haec causa in bonis praecipuè ualere debet.

Dicerem de praemijs etiam, nam his quoq; mo-
 uentur homines, sed in uita saepe accidit, ut maio-
 ra sint praemia malis artibus. Menandri uersiculi
 citantur, quos hoc modo, ut potui, Latinos feci:

Hæc uita gaudet improbis potissimum,
 Sed assentator omnium primas tenet,
 Viuitq; longè iucundissime omnium.
 Deinde sycophantæ proximus est honos,
 Audire enim calumnias dulce admodum.
 At tertius conceditur locus inuido,
 Artes nocendi qui scit astutissimè.

Frauantur ergo maioribus cōmodis assentatores,
 sycophantæ, et alij instructi malis artibus. Sed ta-
 men ea quæ uerè dicitur dignitas, non potest nisi

f ij illis

Præmia studio
 rum eloquen-
 tiae.

“
 “
 “

illis cōpetere, qui bene merētur de Rep. videlicet
 bonorum iudicijs probari. Hęc est uera gloria
 qua semper in Rep. in ciuitatibus, in imperiis
 ximè floruerūt boni uiri; eloquētia instructi, qui
 les Roma fuerūt Lelius, Crassus, Cicero, et ceteri
 Oratores, qui, ut Cornelius Tacitus uenustissime
 dicit, ne priuati quidem sine dignitate erant, cum
 et populam Rom. et Senatū consilio atq; auctoritate
 regerent. Videtis & hodie in Germania magna
 esse dignitatē Oratorum in aulis & ciuitatibus.
 Quare si huius fastigij splēdore mouētur illi
 qui, ut decet, cogitent nō exigua premia huius
 dio proposita esse. Sed de hac Latine dicēdi fastiditate
 iā loquor. Etsi sunt alię artes quę suo studio
 tamen hęc quoq; parit nō mediocria cōmoda. Et
 autē moderati animi etiā, mediocrē fortunā bene
 consulere. Et Deo curę est, ne egeant boni, qui in

Comata Theo
 criti.

Rep. bene mereri student, ut significauit Theocritus
 in fabula Comata, quā adolescentibus recitat.
 Fuit quispiam locuples et avarus pastor, quē
 quē seruiuit Comata, qui fuit Musarū cultor, quē
 & propter pietatē, & ut grex seruarietur diuinitas
 eius, singulis mēsibus ouē Musis sacrificabat. Hęc
 pietate impetrabat, ut grex aduersus morbos &
 lupos tutus esset, et multo fieret succūdius. Sed
 avarus avarus resciscēs singulis mensibus ouē

fari, seruū furti accusat. Ille excusans religionē,
 cōmemorat etiā beneficia diuina, gregis incolumi-
 tatem, et fecunditatem. Sed hæc oratio nō flexit
 animum impium domini. Ridens igitur cœleste nu-
 mē: Experiatur, inquit, an musæ, quibus te curæ esse
 affirmas, sint tibi famem depulsura, si te in hæc ca-
 uam arborem inclusero, nec dederō tibi cibū. Sta-
 tim igitur inclusit miserum in arborem, ibi fame
 eum necaturus. Quid accidit? Post paucos dies
 grex scabie & pestilentia moritur. Hic cœpit pa-
 storem scuitiæ suæ pœnitere, cū agnosceret se di-
 uinitus puniri. Rediēs igitur ad arborem, seruū
 inuenit adhuc uiuum, incolumē, et bene ualentem.
 Cūq; interrogaret, unde interim alitus esset, respō-
 det seruus, Musas in eā arbore examē apū misisse
 se, quæ mella ibi cōficerent, hoc melle se interea su-
 stentatū esse. Petit ergo herus ueniā sceleris, et a-
 gnoscit pios Deo curæ esse, eis q; si nō magnas o-
 pes, at mediocria commoda suppeditari. Hac nos
 spe cōfirmemus, et recta ac utilia studia amplectā-
 mur. Fortassis etiā Ecclesia erit aliquādo trāquil-
 lior, cū ad iudicandū adhibebūtur uiri boni et do-
 cti, qui cōtrouersias planè et simpliciter explicare
 poterūt, et cū mitiora studia homines colere cœpe-
 rint. Quare inuitēt adolescētes, magnitudo publi-
 cæ utilitatis, dignitas eloquentiæ, deniq; etiā cæ-

Iucundum.

tera premia, ut se dedant his literis atq; artibus, quæ ad eloquentiam conducunt, seq; in hoc genere exerceant, & ad res maximas præparent præsertim cum hic labor homini ingenioso uoluptatis etiam dulcissimas pariat. Primum enim lectio quæuisimorum autorum de maximis in Rep. moribus iucundissima est, quærentibus exempla uirtutis, & honesta consilia uitæ priuata aut publicæ. Deinde delectat & ipsa orationis harmonia, quæ Musica quædam: nulla est enim cantilena dulcius or, quàm oratio de rebus bonis concinna & bene composita. Postremò ut canenti, sic scribenti hæc ipsa exercitatio uoluptati est. Iuuat enim inuenire & quasi gignere honesta argumenta, eorum distribuere, disponere, ornare, cum alijs conferre, & inquirere meliora. Hæc naturaliter delectat sana ingenia, et quædam ad uirtutem uia est, quæ facere animum ad has honestas uoluptates intelligendas & expetendas. Est & illa magna commoditas, quod hæc elegantiores literæ in omni fortuna usus sunt. Ad manicula sunt in negotijs, in ocio ornant nos, & sunt uoluptati: In rebus aduersis leuant mœsticiam, leniunt curas ac dolores. Aduuant etiam bonos, ut religionis doctrinam melius intelligere possint, quæ utilitas magnè estimari à bonis debet. Dixi.